

occulta quam aperta crimina vitemus, juxta id apost. II. Cor. IV. *Abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia* (ut scilicet aliud palam ostendamus, aliud occulte faciamus) *sed coram Deo.* Audiatur et Greg. Nazianz. orat. III. « Nos Christiani, externam speciem, ac velut picturam parum admodum curamus, in interno autem homine multo plus operæ studiique ponimus, idque potissimum studemus, ut spectatorem ad ea, quæ animo cernuntur, retrahamus.»

V. Justitia Pharisæorum erat, parva peccata magni aestimare et diligentissime vitare, majora vero et graviora nullo metu perpetrare. Unde ait illis Dominus, Matth. XXIII. *Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham et anethum et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium et misericordiam et fidem: hæc oportuit facere, et illa non omittere: duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Tales erant etiam Pharisæi, qui pro peccato habebant, manducare illotis manibus, non illoto corde: item sabbato spicas manu carpere et terere; non item pauperes contere et usuris depascere. Tales et illi, qui volebant intrare prætorium, ne contaminarentur; interim vero non metuebant Christum neci tradere, Joann. XVIII.

Huc pertinent, qui parvula peccata vitant, vel pro peccatis reputant ea, quæ nulla sunt, cum interim vera et graviora committere nihil pensi habeant. Habent enim conscientias similes araneorum telis, in quibus parvæ capiuntur muscæ, majores perumpunt et evadunt.

Justitia christiana est, non contemnere quidem aut, pro nihilo habere veniales lapsus: verum multo magis cavere graviores et lethales. Illorum auctores asserit reos esse concilio et judicio, istorum vero reos gehennæ ignis. Si enim reatus est irasci, indignari, conviciari; quanto magis sanguinem fundere?

VI. Justitia Pharisæorum erat, dicere et non facere. *Dicunt et non faciunt*, ait Dominus, Matth. XXIII. *alligant enim onera gravia et importabilia: digito autem suo nolunt ea movere.* Sic multi speciose de virtutibus et pietate loquuntur, de justitia et fide, etc. interim ipsi nihil faciunt. Multa parentes liberis præcipiunt, et suis domesticis patresfamilias, ipsimet negligunt. Similes campanæ, quæ ad templum vocat homines, ipsa vero non ingreditur: et fabricatoribus arcæ Noe, qui arcam, quam in salutem Noe faciebant, ipsi non intrarunt.

Justitia Christianorum similis esse palmæ debet; quæ fructus fert pari, cum foliis æquilibrium, apud Pier. libro L. hierogl. unde Psalmo XCI. *Justus ut palma florebit.* Quod fit, cum verba consonant factis.

Apocal. IV. legimus Joannem vidisse procedere de throno Dei, fulgura et voces et tonitrua. Thronus Dei, secundum Aleazar. ibid. sunt Christiani, a quibus partim fulgura exemplorum, virtute coruscantium: partim voces et tonitrua, sermonum piorum ac divinorum, corda permoventium prodeunt. Hæc fulgura et tonitrua, sicut Ecclesia gloriosa et festiva, ita gentibus et hæreticis sunt formidanda. His enim primi Christiani in gentilismi tenebris demonstrarunt Christi veri Dei thronum reperiri in Ecclesia.

VII. Justitia Pharisæorum erat, graviora aliqua peccata vitare, uti perjuria: minora vero, uti juramentum simplex, non curare. Matth. V. Sic enim ait: *Audistis quia dictum est antiquis: Non pejerabis, reddes autem Domino juramenta tua; ego autem dico vobis, non jurare omnino*, id est, nec veritatem quidem juramento confirmabitis citra necessitatem videlicet. Putabant enim Judæi licitum esse jurare verum, item per creaturas saltem. Sed Christum utrumque reprobat, cum dicit omnino non jurandum. Et hoc primo, ne ex assuetudine jurandi labamur in perjurium; unde Augustin. serm. XXVIII. de verbis apostoli ait: *Falsa juratio exitiosa est, vera juratio periculosa est, nulla juratio secuta est*: secundo, quia hoc postulat reverentia nominis divini: tertio, quia ea deberet esse fides et veritas Christianorum, ut injuratis credi posset.

Justitia christiana est, vitare etiam pro viribus venialia errata. Christiani enim ab apostolo ad Roman. IX. vocantur filii Dei; idque nos testamur, quoties oramus: *Pater noster, qui es in cælis.* Atqui filius non degener, non modo adduci nequit, ut occidat patrem, sed neque, ut leviter quidem verberet. Idem apostolus, I. Cor. XIV. ait nobis: *Multitia parvuli estote, (Græce infantes estote.* Ergo sicut infans nescit de peccato loqui et cogitare, nedum id perpetrare: ita Christiani cavere etiam debent, ut ne cogitent aut loquantur ea, quæ sunt mala.

VIII. Justitia Pharisæorum erat resistere malo, et par pari referre: oculus pro oculo, dentem pro dente eruere, Matth. V.

Justitia christiana requirit, ut non reddamus malum pro malo; ulterius præterea ascendendo suadet et hortatur; ut parati simus plura perferre quam irrogantur, imo etiam reddere bonum pro malo. In arca Noe legimus triplices mansiones fuisse, infimam, mediam, supremam, uti habent Hebræa, pro quibus nostra versio legit: *Deorsum, canacula et tristega.* Genes. VI. Infima quadrupedum, media alitum, suprema hominum fuisse jure existimatur. Sic in Ecclesia videntur fuisse tres status, primus naturæ, in qua homines nulla adhuc lege positiva reger-

bantur, ideoque communiter suos affectus sequerentur, et offendentes offendeant, cædentes cædebant: secundus legis scriptæ, in qua ultio solum fuit prohibita, Levit. XIX. *Non eris ultor, nec memor eris injuriæ civium tuorum*; idque communiter credebant sibi sufficere: tertius legis evangelicæ, quæ monet injurias æquo animo ferre, præterea etiam suadet reddere bonum pro malo; quia enim Christianus est in supremo et perfectissimo Ecclesiæ statu, debet perfectiora agere. Hoc est, quod ait Dominus: *Si enim diligitis eos qui vos diligunt quam mercedem habebitis? Nonne et Publicani hoc faciunt?* etc. q. d. vos in loco eminentiori et cælo propinquiores estis; major igitur perfectio requiritur a vobis, quam a veteribus, qui in infimo et medio statu fuerunt.

Quid vero ad hæc, quæso, respondere poterunt, qui ne ad primum quidem pervenerunt, dum neque eos diligunt, a quibus ipsi diliguntur, quique omni prorsus justitia carent? Si non intrabunt in regnum cælorum, qui justitia sua non superant Pharisæos: quomodo intrabunt, qui illos nec adæquant?

IX. Audiamus bona Pharisæorum opera. Primo, legem Dei maxime faciebant, in fronte et manicis gestabant. Quid ergo dicemus de Christianis, qui legem Dei et Ecclesiæ pro triobolo transgrediuntur? Qui erubescunt crucem in fronte pingere, rosarium in manu gestare? Secundo, Pharisæi blasphemias execrabantur; unde de Christo dicunt cum horrore: *Hic blasphemat.* Quid respondebunt Christiani, qui perpetuo execrantur et blasphemant Dei nomen, vulnera et sacramenta? Tertio, Pharisæi hostes erant impudicitie, et ne prope quidem cum meretricibus consistere volebant, unde quidam de Christo ait: *Si esset hic propheta, sciret utique quæ et qualis est hæc mulier, quia peccatrix est.* q. d. ego eam ad me non admitterem. Quid ergo dicent Christiani, qui multis sæpe annis pellices domi alunt, aut secum circumducunt, vel meretricibus adherent? Quarto, Pharisæi magno studio sabbatum custodiebant, unde contra Christum toties queruntur, quod, etsi rebus levissimis, sabbatum violare videretur. Quid ergo Christiani, qui dies festos violant gravissimis peccatis et divina negligunt levissima de causa? Quinto, Pharisæi frequentes in templo erant, noctu, mane, vespere. Quid ergo Christiani, qui vix semel in hebdomade sacram ædem salutant, et ubi salutarunt, statim inde se proripiunt? Sexto, Pharisæi publice etiam orare in angulis platearum minime erubescerant. Quid ergo Christiani, qui dum pulsatur ad orationem publicam, v. g. salutationis angelicæ: vel dum gestatur per plateas s. eucharistia, genuflectere

et orare in patulo sibi ducunt ignominie et vel se subducunt, vel in suis negotiis pergunt, nec caput quidem aperiunt? Septimo, Pharisæi victu erant modico, crebro jejunabant, uti ille bis in hebdomade, Luc. XVIII. Quid ergo Christiani, qui die Veneris et sabbati abstinere vel a carnibus nolunt? Octavo, Pharisæi fideliter dabant decimas, uti fatetur idem ille. Quid ergo Christiani, qui decimas ad se rapiunt, et in iis dandis innumeras fraudes committunt? Nono, Pharisæi magnas dabant eleemosynas et publicas; unde præeunte tuba eas proclamabant. Quid ergo Christiani, qui in luxum quidem et pompam divites ac liberales sunt; in Deum vero et egenos pauperrimi ac parcissimi? Decimo, Pharisæi munifici erant in donis templo et gazophylacio conferendis. Quid vero Christiani, qui pro perditio habent, quod altari et gazophylacio offertur? Judicate igitur annon Pharisæi quam plurimos Christianos magna ex parte superent, eosque in judicio condemnaturi sint. Peccarunt Pharisæi in sola intentione dum faciebant opera illa, quo viderentur ab hominibus: finis dumtaxat malus erat, et tamen his omnibus tam operosis suis actionibus Deo displicere; qua ratione igitur placebunt Christiani, qui nec opera illa faciunt, quæ fecere Pharisæi? Itaque colligamus vires, auditores, et ea quæ retro sunt obliviscentes, ad ea, quæ priora sunt, extendamus nosmetipsos, cum apostolo ad Philip. III. Parum adhuc præstitimus et vix justitiam Pharisæorum attigimus. Plus ultra nobis tenendum est. Senior quidam in vitis patrum rogatus, quid perfectionis studioso agendum esset, respondit eum imitari debere canes venaticos; siquidem enim illi leporem velocissime totoque conatu persequuntur, non respectant, quæ in via sunt aut offeruntur non attendunt, sed omnibus oculis, sensibus et viribus etiam per saxa, sentes et vepres in leporem feruntur nec quiescunt donec eum ceperint; ita et virtutis studium circa virtutem facere debere. Atque ita fecit S. Marciarius anachoreta, uti narrat Theodoretus, in Philotheo. Cum enim in venatorem incidisset, rogatusque esset quid rerum in eremo solus et otiosus ageret, vice versa quæsit: *Quid vero tu agis?* Cui ille: *Ego cervos et lepores venor, ut vides.* Tum Marciarius: *Et ego, inquit, Deum meum hic venor, nec ab hac vulkra venatione cessabo, donec eum apprehendero.*

CONCIO II.

VETERIS ET NOVÆ LEGIS DIFFERENTIA.

I. Lex vetus scripta fuit in tabulis lapideis, nova in tabulis cordis carnis. — II. Vetus fuit obscura, nova est clara. — III. Vetus angustiis terminis con-

clusa, nova per orbem totum diffusa est. — IV. Vetus temporaria est, nova æterna. — V. Vetus erat grave jugum, nova leve. — VI. Vetus erat timoris et servorum, nova amoris et filiorum. — VII. Vetus ex se neminem justificat, nova vim justificandi habet. — VIII. Vetus puerorum erat, nova adultorum. — IX. Vetus temporalia solum promisit, nova vero bona æterna. — X. Vetus clausum habuit cœlum, nova apertum.

THEMA.

Audistis, quia dictum est antiquis. Matth. V.

Josuen præclarissimum illum ducem, typum Christi Domini fuisse non solum ob nominis similitudinem, (Josue enim idem significat, quod sacratissimum nomen Jesu) sed ob alias etiam analogias satis compertum est. Missis nunc aliis, legimus, Josuen accepisse a filiis Israel in hæreditatem, urbem Thamnathsaraa, Hebr. Thimnathserach, Jos. XIX. vilem maleque ædificatam, imo dirutam, ut quasi acervus lapidum et urbis cadaver esset; quam proinde Josue denuo ædificavit, commodioremque ad habitandum reddidit, ex quo celebris facta est, et S. Hieronymi tempore, (ut testatur ipse, lib. de locis Hebr.) adhuc superstes fuit. Ideoque ut nonnulli volunt mutatum ejus nomen, et appellata est Timnathcheres, uti in Hebraico textu vocatur, Judic. II. Quid vero urbs illa diruta nisi synagoga sive lex Mosaica pravis Judæorum moribus lacerata et vastata? Hanc igitur ædificare, perficere et expolire cœpit Christus Dominus ut in ea commode habitare, quicumque vellent, possent non jam quasi in veteri sed quasi in nova urbe. Congruit huic proposito utrumque urbis vocabulum. Prius illud veteris urbis, Thamnathsaraa imaginem luxuriantem sive superfluam, vel exolentem ac fetentem significat; posterius vero urbis novæ Tamnathcheres, imaginem solis, ut advertit Serarius, Jos. XIX. Quid autem fuit in synagoga nisi superfluitas traditionum humanarum, carnaliumque sacrificiorum graveolentia et nidus? Quid ipsa nisi deficiens in virtutibus et paulatim exolens imago? At vero Ecclesia imago solis est, longe lateque splendens, Christumque justitiæ solem, vitæ sanctitate, fide, cultu et amore representans. Atque hanc ædificare in hodierno incipit noster Josue: abjectis partim, partim instauratis veteris legis ruinis. Nos igitur in hoc sermone veteris et novæ illius urbis Josuanæ seu synagogæ, et Ecclesiæ discrimen videamus.

I. Lex vetus scripta et præscripta fuit Judæis in tabulis lapideis; ad significandam durtiæ cordis eorum quod legem non erant impleturi, inquit S. Augustinus, de catechiz. rudibus, c. XX. et serm. VI. de verbis apostoli. Unde ad

legis litteram Judæi solum attendebant, ideoque in membranis et fimbriis eam scribebant; ut semper ante oculos haberent, eamque externe adimplerent, non curantes, quo affectu, qua mente et qua intentione.

Lex nova scripta et inscripta est Christianis, non in tabulis lapideis, sed: *In tabulis cordis carnalibus*, id est, sentientibus et fluctantibus, II. Cor. III. et Jeremias XXXI. ubi dicitur: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam; et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum.* Voce enim viva prædicata est lex fidelibus in Sion, et per Spiritum sanctum impressa eorum cordibus multo solidius, quam vetus in tabulis lapideis. Ideo enim tyranni nulla ratione, nullis minis vel tormentis, nullis dolis aut promissis eximere potuerunt legem e cordibus tot millium fidelium, qui pro ea afferenda sanguinem fuderunt. Imprimitur autem lex cordibus fidelium, cum ea illustrantur per fidem, et alias illustrationes, quibus legis præstantia, divinitas, suavitas, et utilitas eis insinuat, rursus cum ea roborantur ad legem non solum memoria retinendam, sed etiam sanguine et vita contestandam.

II. Lex vetus fuit obscura, multis figurarum umbris involuta, ideoque significata per velamen, quo tecta erat facies Moysis, cum populo loquentis, Exodi XXXIV. ut exponit apostolus, II. Cor. III. item per velum templi, quod per Christi mortem scissum est. Exinde enim arcana legis veteris patere inceperunt. Idem significabat nebula et fumus circa montem Sinai, cum legem Deus Moysi dedit, Exod. XIX. dixit enim: *Jam nunc veniam ad te in caligine nubis*, hoc est, *obscura legis scientia*, ut ait interlinearis gl. summa enim fidei mysteria, uti SS. Trinitatis, incarnationis, eucharistiæ, resurrectionis, judicii, cœlestis beatitudinis non nisi per figuras, et quidem obscurissime, nec nisi illis qui Deo familiariter adhærebant, ostensa sunt.

Lex nova clara et lucidissima est, ut vel ex evangelis patet, quæ respectu Scripturarum veteris legis præsertim prophetiarum ita se habent, uti dies respectu noctis. Inde enim quilibet quæ ad fidem et salutem consequendam vitamque recte instituendam pertinent, facile perdiscere potest. Hinc Arnobius, in Ps. CXXXV. scribit: *«Fecit luminaria duo magna, unum in die novi testamenti, quod sicut sol radiat in lumine agentibus, aliud in nocte Judaica conversantibus. In novo enim aperte quod legitur sicut in die, in ipsa littera perlustratur a Christo qui est sol verus justitiæ: in veteri autem sub litteræ tegmine, quasi in nocte positum a luna, id est, ab Ecclesia manifestatur.»* Sane quæ olim doctissimi rabbini intelligere non poterant, nunc a

rudibus mulierculis, pueris et ruricolis sine hæsitacione creduntur, et quantum satis est, explicite intelliguntur.

III. Lex vetus arcus terræ limitibus circumscripta fuit, non ulterius se extendens, quam a flumine Euphrate usque ad mare mediterraneum, solum quoque Hebræorum nationem, uni Palæstinæ inclusam, complexa erat: lex nova se effudit per universum orbem juxta Psal. LXXI. *Dominabitur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Designatum hoc fuit, Judic. VI. in vellere Gedeonis, quod primo, quidem rore perfusus fuit, area circumjacente spatiosissima sicca remanente: postea solum vellus aridum remansit, tota vero tellus in circuitu rore maduit. In quem locum S. Augustinus, I. de unit. Eccl. c. V. «Non video, inquit, quid hic aliud figuratum et prænuntiatum sit, nisi ut aream intelligamus orbem terrarum, locum velleris populum Israel. Novimus enim illam quondam gentem divini sacramenti gratia tamquam cœlesti rore, perfusam, cujus muneris per omnes in circuitu gentes quia eo carebant, tamquam siccitas erat. Erat autem apud illum populum hoc munus in vellere, id est, in velamine et quasi in nube secreti, quia nondum fuerat revelatum. Nunc autem videmus orbem terrarum jam revelato rore saginari per evangelium, etc.» et S. Hieronymus ad Paulinum: «Postquam, ait, siccato Judææ vellere universus orbis cœlesti rore perfusus est et multi de oriente et occidente venientes recuberunt in sinu Abrahamæ, desiit esse notus tantum in Judæa Deus et in Israel magnum nomen ejus, sed in omnem terram exivit sonus eorum.»

IV. Lex vetus temporaria tantum erat, durans usque ad Christum, quemadmodum pædagogus adjungitur pueris donec adolescant, tunc enim magistris et doctoribus traduntur erudiendi: ideo Hebræorum pædagogus vocatur ab apostolo ad Gal. III. lege Christi adventante amotus est pædagogus. Lex igitur nova æterna est duratura ad finem mundi. Veteris legis typus erant primæ legis tabule, quæ a Moysæ contractæ designabant legem illam aliquando abolendam: novæ legis typus erant tabulæ posteriores, quæ non sunt contractæ, sed in arca fœderis, id est, Ecclesia Christi semper asservatæ, ut exponit S. August. I. XV. contra Faustum, c. IV. Ad hoc etiam indicandum lex vetus cum terræ motu, saltem montis Sinai, data est, juxta Psalm. LXVII. *Terra mota est*, necnon, Exod. XIX. ubi dicitur: *Erat mons terribilis*, Hebr. *tremens et saliens*, quia nimirum lex illa mobilis et amovenda erat, uti docet etiam ex Aggæo apostolus ad Rom. XII. at vero nova lex sine hujusmodi

motu data, quia permansura erat usque mundi finem.

V. Lex vetus erat jugum grave, atque ut censuit S. Petrus, Actor. XV. propemodum importabile, id quod denotabant graves Moysi manus, Exod. XVII. secundum D. Bernardum, serm. XXX. in Cant. quas nisi adjuvante utrinque Aaron et Hur elevare diutius ad orandum non poterat: sic enim nec legis illius pondus sine speciali gratia diu portari, sed ut Rupert. I. III. de Trinit. c. XX. exponit: *Lex ut impleretur, sustentatore indigebat Christo, Hure Spiritu sancto.* Fuit autem grave valde. Primo, propter multitudinem præceptorum, quæ ut numerat Abulensis, Lyranus. Paulus Riccius rabbinus, erant sexcenta et tredecim, si tam negativa quam affirmativa computarentur: secundo, propter difficultatem ipsorum in cibo, tactu, sacrificiis, cæremoniis, judiciis: tertio, quod ejus sacrificia et sacramenta non conferebant gratiam ex opere operato, quæ difficultatem temperaret; neque lex sine fide Christi vim habebat justificandi: denique, quia graves pœnæ delinquentibus impositæ ob culpas sæpe non gravissimas; uti lapidationis, si quis blasphemasset, aut sabbatum violasset; interdicti a templo, si quis mortuum tetigisset; aquæ zelotypiæ bibendæ, si mulier suspectæ fidei esset; combustionis, si filia sacerdotis fornicata esset, etc. At vero nova lex jugum suave est et appellatur ab ipso Christo, tum quia lex amoris charitatem Dei et proximi solum præcipit, tum quia Christi exemplum habet, tum quia abundantem gratiam onus alleviantem.

VI. Lex vetus erat lex timoris et servorum, ut testatur apostolus ad Rom. VIII. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei*: et ad Galat. IV. ubi id jugum servitutis appellat et comparat Agar; sicut e contra legem gratiæ Saræ. Agar ancilla erat Abrahamæ seu uxor secundaria, quæ cum filio suo Ismaele, persecutore Isaacii filii Saræ expulsa est e domo Abrahamæ, denotans synagogam; quæ, quia ejus filii vexarunt Ecclesiæ filios, Christianos, repudiata et abjecta est a Deo. Sara uxor Abrahamæ primaria et domina, Ecclesiam designans, semper Deo adhæsit; contra lex nova lex amoris et filiorum est, necnon libertatis, quia per amorem et gratiam suaviter nos ducit ad sui observationem; deinde, libertatem confert quadruplicem; primo, a servitute cupiditatum et vitiorum, quibus subjecti peccatores; secundo, a coactione et metu, ut legem impleamus non ex timore vindictæ, sed Dei et virtutis amore, impleturi etiam si nulla prævaricatoribus pœna statuta esset; tertio, a lege veteri, qua continebat

præcepta judicialia et cæremonialia, non autem qua moralia seu decalogum. Quartam confert in resurrectione, a morte et omni miseria. Hinc igitur lex nova in monte Sion data et inscripta est cordibus fidelium sine omni timore, mo maximo cum gaudio et solatio eorum; per ignem non urentem aut consummentem, sed blandientem et faventem. At vero lex vetus in monte Sinai data fuit cum terrore, sæviente procella, tonante et fulgurante cælo, monte fumante, terribili promulgatoris angeli voce.

VII. Lex vetus ex se (sine fide scilicet Christi) neminem justificabat, aut justificare poterat, seu absolvere a peccatis et gratia donare, ut testatur apostolus ad Galat. II. et III. ad Hebr. X. et alibi sæpe. Unde illius legalia sacra et sacrificia erant: *Infirmæ et egenæ elementa*, ad Galat. IV. In cuius rei typum habebat altare holocausti: *Non solidum, sed inane et cavum intrinsecus*, ut præcipitur, Exod. XXVII. At vero nova lex vim justificandi habet ex se: unde et altaria illius non cava et inania, sed solida sunt et lapidea. Typum etiam huiusque discriminis exhibuit Hebræis Elisæus, cum primo, misit servum cum baculo suo ad suscitandum puerum, sed irrito eventu: deinde, ipsemet descendens ad puerum, eique incumbens suscitavit eum, IV. Reg. IV. servus Elisæi cum baculo ejus denotat legem veterem, qua sola nequam poterant prophetæ vitam gratiæ afferre peccatoribus: descensus Elisæi ipsius, legem Christi et novam indicat, quæ suscitavit peccatores. Eodem spectat parabola Domini de Samaritano, qui solus vulneratum hominem sustulit in equum et in diversorio sanari fecit, quod non fecerant sacerdos et levita: hi enim legis veteris impotentiam, Samaritanus virtutem legis novæ ad justificandum representat, Luc. X.

VIII. Lex vetus puerorum erat et rudium: *Nihil enim ad perfectum adduxit*, ait apost. ad Hebr. VII. hoc est, neminem potuit perficere, quia in externis tantum occupabatur circa justitiam carnis, et munditiem exteriorem, quæ coram hominibus, non autem coram Deo puros et sanctos efficiebat. Si quis mortuum tetigisset aut immundum, jubebat eum lex lavari; si quis homicidium et verum crimen admisisset, jubebat eum lex occidi; ipsum vero peccatum ipsamque animam non expiabat lex, ut explicat Cornelius. Rursum, ad externa potissimum et gravia peccata attendebat, ut colligimus ex hodierno evangelio: quia pueris, hoc est, rudibus hominibus præscripta. Unde S. Cyrillus Alexandr. lib. de Spiritu sancto de illis scribit: *Quæritur quo pacto congruum fuerit olim,*

et ab initio priscis novam et evangelicam legem non esse datam? Dicimus quod liberati ab Ægypto opus habebant instructione et educatione, quasi puerili: erant enim adhuc crassi, et ad absurda quæque facile seductibiles. Quare fere impossibile erat, et minime integrum, ut statim arduam quamdam civilitatem, et vitæ rationem arriperent, quæ tam præclara sit ac admirabilis, ut ambuletur quidem super terram, conversatio autem habeatur in cælis. Unde apostolus: *Perfectionum quidem est solidus cibus, parvulis vero lac conducibilis est: pueris igitur opus erat eruditione quæ per figuras, et, ut sic dicam, victu delicatore non sermone ad consummatam perfectionem ducente.* Israelitæ enim leves erant parumque sapientes, et in quamlibet affectionem facile rapiabantur: et si quis mores eorum diligenter spectarit, opinor quod neque umbra digni erant, id quod Moyses ostendit, tabulas legis confringendo, nec umbra, nec figuris, nec ulla doctrina cælesti dignos arbitratus. » Ea propterea etiam apostolus jure legem illam dixit fuisse pædagogum ad Christum, uti diximus, quia scilicet pueros adhuc rudes erudiebat, pædagogus enim Græcis dicebatur servus, qui puerum ducebat et regebat, primamque ejus ætatem ad vitia proclivem virgine coercebat, formabat, disciplinâ puerilibus imbuebat, et ad altiora præparabat, tandemque ad præceptorem et magistrum deducebat ab eo erudientem in artibus liberalibus et altioribus studiis. Itaque lex nova schola adultorum est, ad sublimiora studia idoneorum. Unde illius præcepta accuratiora et subtiliora, uti ostendit Dominus in hodierno evangelio, et ad longum toto capite Matth. V. Non convenit pueris præscribi lectiones adultorum, nec decet ut hi contenti sint lectionibus puerorum. Jam ergo quia Judæi fere sensibus tantum et propriis cupiditatibus ducebantur, præscripsit eis infimos gradus, v. g. *Oculum pro oculo, dentem pro dente*; quo videlicet, si omnino vindictam vellent, saltem non excederent in modo, quod communiter fit, ut pro una contumelia decem easque graviores rependamus; sicque eos disponeret ad recipiendam altiore illam doctrinam, quam hic tradit: *Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit in una maxilla, præbe ei alteram. Rursum, dictum est antiquis: Diliges amicum tuum*; en aliam puerorum lectionem. Sed ad altiore evehit Dominus: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, etc. Dictum est antiquis: Non pejerabis.* Iterum puerorum lectio, altiore audite: *Ego autem dico vobis, non jurare omnino.* Itaque lex vetus nequaquam contraria est

novæ, sed vetus pædagogus pueros ad præceptorem, sic transmittit ad Christum Judæos a rudioribus præceptis ad perfectiora. Lex nova est homo ille lineis indutus, quem vidit Ezechiel, cap. XL. metiri templum mysticum lineo funiculo, et explicat D. Gregorius, hom. XIII. in Ezechiel. « *Funiculus, inquit, lineus in manu ejus. Censura legis veteris funiculus fuit, sed lineus non fuit, quia rudem populum non subtili prædicatione coercuit, in quo per pœnæ sententiam non peccata cogitationis, sed operis resecevit.* » At Christus Dominus funiculum lineum in manu tenuit cum dixit, Matth. V. *Auctis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Jam ergo examinet se unusquisque in qua schola hæreat, utrum non adhuc in Hebræorum classe sedeat, vel etiam in inferiori, dum nec amicos diligit, nec vindictæ æquitatem observat, nec perjuriam cavet, nec ab externis peccatis abstinat.

IX. Lex vetus temporalia solum bona promisit et terrena sui cultoribus, uti terram promissionis manantem lacte et melle, id est, omni frugum ubertate et pinguedine redundantem, Exod. III. Deut. VI. alias etiam prosperitates et benedictiones in liberis, pecoribus, agris, ædibus, etc. Deut. XXVIII. Denique, Isaïæ I. *Si volueritis et audieritis me, inquit, bona terræ comedetis.* De æternis bonis et regno cælorum non fit expressa mentio. Primus qui regnum cælorum nominavit et promisit pœnitentibus, fuit Joannes Baptista, qui inde cepit concionem suam, quemadmodum et Christus: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum*; tum quia usque ad Christi ascensionem clausum erat, tum quia carnalis ille et terrenis tantum commoditatibus addictus populus parvi æstimasset futurorum bonorum promissionem, maxime eo tempore, quo cælum adhuc oclusum nemini patuisset. Unde S. Hieronymus, epist. CXXVI. ait: *Et mihi in evangelio promittuntur regna cælorum quæ instrumentum vetus omnino non nominat.* In lege igitur nova primum est quod promittitur, regnum cælorum. Et propterea Dominus sermonem suum in monte ita inchoat: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Quodque magis mirum, temporalium promissionem nullam fere commemorat lex nova, quasi indignæ sint quæ suis cultoribus promittantur; ait illis adjiciendas veluti auctarium.

X. Lex vetus uti primum meminimus, clausum sibi cælum habuit, adeoque suos alumnos ad limbum transmisit universos, etiam sanctissimos. Bonus ille Jacob optatum suum Jose-

phum non quæsit in cælo, sed in limbo: *Descendam ad filium meum lugens in infernum*, Genes. XXXVII. Ezechias bonus item et Deo charus rex morti appropinquans: *Vadam ad portas inferi*, inquit Isa. XXXVII. *Portas cæli nemo aperire nisi rex gloriæ potuit, uti discimus, Psal. XXIII. Lex nova post ascensionem Christi cælum sibi apertum habet, ita ut animæ justorum ab omni labe expiata illico rapiantur ad cælestem beatitudinem et videndum Deum facie ad faciem.* Inde S. Stephanus pro cælo pugnans et quasi jamjam victor ingressurus: *Ecce video cælos apertos*, inquit, Act. VII. Sanctus etiam Joannes, Apoc. XXI. scribit duodecim portas patere cælesti in civitate, tres ad orientem, tres ad occidentem, tres ad meridiem, tres ad septentrionem, hoc est, cælum undique apertum ad recipiendos jam electos ex quacumque orbis plaga venerint.

Ex dictis apparet non admodum difficile esse discernere legem veterem a nova, ut mirandum et horrendum sit quod scribit Aurifaber, in sympos. serm. Lutheri, c. de lege et evangelio, ipsum dixisse: *Si discrimen utriusque nosset, se diabolo (veniam date) nates ostensurum: neminem id novisse neque ipsum Christum, ut qui in horto Oliveti primum edoceri evangelium ab angelo debuerit.* In quibus execrandis verbis nescio majorne insania, an turpior impudentia, an gravior blasphemia sit. Quis ex uno isto ungue non agnoscat, quæso, diabolicam aviculam? Quid enim est hoc, Christum æternam sapientiam, creatorem angelorum ab angelo edoceri debuisse? Sed ad finem objiciet forte aliquis legem quidem veterem in his, quæ diximus, a nova longe superari; alia tamen ex parte videri præcellentiora ea fuisse ob divinos favores et stupenda miracula, quæ Deus in illa operatus est. Sed respondeo imprimis hoc magis arguere imperfectionem Hebræorum, quos Deus per ejusmodi signa et ostenta suæ providentiæ continere in officio et cultu suo debuit. Secundo, non pauciora cerni miracula in Ecclesia, imo longe plura partim in favorem sanctorum, partim per sanctos ipsos edita. Denique, si non eadem prorsus quæ in veteri contigerunt lege, edita sunt in nova, non absimilia tamen.

Primo, scalam a terra ad cælum protensam vidit Jacob: vidit ejusmodi scalam etiam S. Romaldus in eaque ascendentes ad cælum fratres ordinis sui. Secundo, impij Sodomitæ a Deo excæcati videre ostia domus Loth non poterant, ne justo viro nocerent; per modo S. Gregorius Thaumaturgus cum diacono orans in monte, quæ situs a persecutoribus agnitus non est, existimantibus illis se videre non duos